

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2115

Auteur(s) : Eudes Rigaud, Rouen (archevêque)

Bénéficiaire(s) : Louis IX, France (roi)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1262, juillet

Lieu d'émission : Nevers

Action juridique : échange

Langue du texte : latin

Analyse

Eudes Rigaud, du consentement du chapitre de Rouen, fait échange avec le roi de France, Louis IX, des moulins de Rouen, du vivier de Martinville, de quatre moulins à Déville, et en outre d'une soulte de quatre mille livres tournois, contre le château de Gaillon, avec ses dépendances, la tour des Noes, les domaines (villas) de Douvrent et de Humesnil, et de leurs dépendances.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Bonnin Théodose, *Cartulaire de Louviers*, Évreux, Hérissé, 1870-1873, 6 vol., t. 1, n° CCXLVI, p. 289-291.
- b. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, Instrumenta, n° XXXVIII, col. 36 (copie tronquée).

Dissertation critique

le 12 ou le 13 juillet d'après Bonnin

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis, frater Odo, permissione divina, Rothomagensis ecclesie minister indignus, salutem eternam in Domino Jesu Christo.

Notum facimus universis quod nos cum excellentissimo domino Ludovico, Dei gratia, Francorum rege illustri, permutationem fecimus sicut inferius continetur : Videlicet quod eidem domino regi ejusque successoribus, ex causa permutationis seu escambii, dedimus et concessimus tenenda perpetuo et habenda omnia molendina nostra et vivarium nostrum apud Rothomagum, cum omnibus pertinentiis eorum et juribus eorundem et tota justitia, nihil retinentes in molta civium Rothomagensium, vel eorum qui in suburbiis commorantur ; nobis tamen retinimus molturam liberam in dictis molendinis nostris, tam pro hospitio nostro Rothomagi, quam pro nobis ubicumque Rothomagi fuerimus, vel apud Deivillam, vel alibi prope Rothomagum, in loco eque distanti : ita videlicet quod post bladum quod fuerit in tremia, veniente nuntio seu serviente nostro ad molendinum, primo et immediate nostra moltura libere compleatur, nisi forsan serviens ballivi vel custodis castris dicti domini regis prius venisset ad molendinum quam nuntius vel serviens noster : qui ballivus vel custos castris predicti aut ejus serviens, tunc scilicet cum prius venerit, in moltura preferetur.

Cum predictis etiam dedimus dicto domino regi suisque successoribus quatuor molendina apud Deivillam, absque tamen moltura qualibet hominum nostrorum predictae ville et justitia in eisdem que pro molta in Normania fieri

consuevit : hoc etiam adjecto quod infra dicta molendina bladum vel farinam non poterimus impedire. Jus etiam alveum reparandi et purgandi eisdem concessimus, quoties opus erit, absque tamen lesione seu impedimento molendini nostri in superiori parte aque constituti ; nihil omnino ipsis in dicta villa, ex permutatione hujusmodi concedentes, preter illa quatuor molendina cum juribus supradictis.

Dedimus etiam cum predictis domino regi quatuor millia libras Turonensium in pecunia numerata. Pro quibus prefatus dominus rex dedit et concessit nobis et successoribus nostris, tenenda perpetuo et habenda in puram elemosinam, castrum suum et villam de Gaillon, turrim et villam des Noes, villas de Douvrent et de Humesnil, cum omnibus pertinentiis predictorum infrascriptis, et omnibus juribus et honoribus et cum omnimoda jurisdictione et justitia et pleno jure regali ; nihil penitus retinens in predictis, exceptis feodis et membris lorice extra villas nobis traditas constitutis. In quibus feodis et membris extra villas omnem justitiam magnam et parvam retinuit dominus rex, hoc adjecto quod predicta sibi vel successoribus suis cedent in regalia, vacante ecclesia Rothomagensi.

Predicta autem omnia et singula que dicto regi ejusque successoribus dedimus ex causa predicta, nos et successores nostri adversus omnes garantizare tenebimur prefato domino regi suisque successoribus in futurum : tali modo quod si forte aliqua de predictis que dicto domino regi vel ejus successoribus per jus evinci contingeret, res equivalentes restituere teneremur ; similiter predicta omnia et singula que predictus dominus rex nobis et successoribus nostris dedit ex causa predicta, idem dominus rex et successores sui adversus omnes garantizare tenebuntur nobis et successoribus nostris in futurum ; ita quod si forte aliqua de predictis que nobis et successoribus nostris dedit idem rex, per jus evinci contingeret, idem rex et successores sui, nobis et successoribus nostris res equivalentes restituere tenerentur in loco competenti.

Si autem contra dictum dominum regem, quod absit, aliquoties contigerit in Normannia guerram fieri, toties ad magnam vim et ad parvam dictum castrum de Gaillone et turrim des Noes, sibi aut successoribus suis, cum munitionibus que ibidem tunc temporis fuerint, tunc tradere tenebimur nos et successores nostri, qui pro tempore fuerint, cum super hoc a dicto domino rege vel ejus successoribus per ipsius vel illorum litteras patentes fuerimus requisiti. Qua sedata guerra, pace vel treuga aut alio modo, ipse et successores sui dictum castrum et turrim nobis vel successoribus nostris, qui pro tempore fuerint, in eque bono statu quo eisdem tradita fuerint, tam in fossatis, muris, edificiis, armis, victualibus et omnibus aliis, libere et sine difficultate qualibet restituere tenebuntur.

Insuper nos et successores nostri in castro predicto contra dominum regem neminem poterimus receptare.

Et ad hoc quod de castro predicto diximus observandum, nos et successores nostri firmiter dicto domino regi et ejus successoribus, salva fidelitate quam eisdem prestamus, cum ab ipsis regalia recepimus, tenebimur obligati.

Pertinentie de Gaillon, des Noes, et de Humesnil et de Douvrent sunt hee : Jus patronatus prebendarum quod habebat dominus rex apud Gaillon, et jus patronatus parochie de Douvrent, terre arabiles, vinee, modiationes vini, prata, nemora, garenne, foucagium, redditus in frumento, avena, blado communi, nucibus, denariis, caponibus, gallinis, anseribus, ovis, panibus, garbis, calcaribus, gardis, campiparte bladum, cum terragia, costuma denarii et oboli, furni, molendina, molta sicca, estoublagia, servitia rusticorum, quariagia, messeria, servitia wavassorum, precarie et corveie carrucarum, servitia quadrigandi et tassandi, bannum vini, pasnagium foreste Sancti Albini, preleveia, auxilia feodalia, tractus sagene, quam habebat rex in aqua beate Marie de Garenna, piscaria. Item, molendinum de Autuel et pratium situm juxta dictum molendinum ; item, modiationes de Longavilla, videlicet quadraginta quatuor modii vini rubei et sex modii vini albi.

Predicti autem redditus omnes et alia supradicta, exceptis dictis molendino de Autuel et prato sito juxta dictum molendinum et modiatione de Longavilla, sunt et percipiuntur in dictis villis de Gaillon, des Noes, et de Humesnil et de Douvrent et in Mesnillo et territoriis suis in parochia Sancti Albini, que est matrix ecclesia sive parochia de Gaillon, et de Aubevoye, que similiter est de pertinentiis de Gaillon, et in parochia de Douvrent.

In premissorum autem testimonium et munimen, presentes litteras sigillo nostro fecimus sigillari.

Actum Nivernis, anno Domini M° CC° LXII°, mense julio.